

lat. Actor, Cap. 1. v. 5. & Cap. 11. v. 16. Joannes itaque Baptismo aqua a Christo Domino tingi minime postulabat, dum diceret: *Ego a re debeo baptizari*; sed rationem, cur Christum baptizare renueret, proferebat: quod nempe sanctior ille cum esset, ac purior, imo totius puritatis, ac sanctitatis fons, illius se spiritu purgari, ejusque gratia perfundi ab eo mallet, quam sterili illum aqua perfundere. Nec Christus, dato brevi illo responso, sine modo, id faciendum significavit, quod Joannes optaret; sed alium longe sensum his verbis expressit: nempe sine modo, ut ad Baptismum suscipiendum me demittam, externamque peccatoris personam sustineam; tempus erit, cum qui re ipsa sim, palam faciam. Quamquam tamen, si dato illo responso, id faciendum subinde, significasset Christus, quod Joannes optabat, nihil inde ad muniendam, quam refellimus opinionem, extendi posset: cum nec id Joannes optaret, ut externo aqua Baptismate tingeretur a Christo; sed ut interna spiritus ejus, & gratie effusione perfunderetur: quod utique factum est. Sed nec aliud laudari Patres sibi volunt, dum Joannem iniquum a Christo Domino baptismum Scripturarum enim loquendi formulam amulati, Baptismum vocitant, uberiorem illam Divinae gratiae effusionem, qua Joannes ipse Christum tingendo perfusus est. Maxime cum Christum a Joanne baptismum aqua dicant; Joannem a Christo spiritu tantum. Et sane Joannis discipulos aegre tulisse legitur, palamque apud Magistrum obmurmurasse, quod Christus Dominus baptizaret: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem*; cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, Joannis 3. v. 26. Quamquam Jesus ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus: Ioan. 4. v. 2. Ecquis vero illos id aegre laturos putet, si Magistrum suum novissent ab ipso fuisse baptismum.

XIII. Neque est ex integro danda fides Euthymio Zigabeno in Cap. 3. Joannis, & Nicephoro Callisto lib. 2. Hist. Cap. 3. dum scribant, Christum Dominum, statim atque Joannis baptismate tinctus est, Virginem Matrem, Apostolosque, aut certe Petrum proprio lustrasse baptismate: sacrumque in illos ritum propriis manibus peregrisse. Id enim ut probent, solam jaclant magni Evodii, Petri in sede Antiochena successoris Epistolam; quam nemo criticæ scientiæ peritus non reiecit ut apocrypham. Nihilque de baptizata Deipara Patres habent, unde colligi verisimiliter possit, fuisse illam a Christo potius, quam ab Apostolorum aliquo sacra lotionem lustratam. Maxime cum illius dignitati & excellentiæ tam non repugnarit, eam ab Apostolorum aliquo sacra unda lustrari, quam Christum ipsum a Joanne sermo suo baptizari non repugnavit: ut & ipsa filii sui imitatrix effecta iustitiam omnem impleat. Nec satis qui ita factum inficiantur, observant, Mariam Virginem, tamen si Apostolos universos, divina maternitatis titulo, ingentibusque virtutum meritis supergressam, iidem tamen, quantum ad Sacramentorum susceptionem, fuisse subiectam; quos & Christi ministros, & Mysteriorum dispensatores ipsa quoque non illibenter experta est.

Dixi porro non dandam ex integro fidem Nicephoro & Euthymio, historiam illam narrantis. Quia licet priori Narrationis sua parte, quæ de Virgine Matre est, nullo probato teste nitatur; alteram tamen, quæ de Apostolis est, a Christo Domino baptizatis, D. Augustino certo nituntur auctore atque magistro. Quamquam enim Christum communiter baptizasse negat S. Doctor, ordinariumque baptismatis ministerium Apostolis reliquisse contendat: juxta quod Joannis 4. v. 2. scriptum est, *Jesus non baptizabat, sed Discipuli*

ejus: Eundem tamen Apostolos propriis manibus baptizasse, bocque in illos ministerium exercuisse, disertissime docet; ut illos dignos faceret sui baptismatis ministros: Epistola olim 108. nunc 265. ad religiosissimam Dei famulam Seleucianam: *Quando ab Hierosolymis exiit Christus, cum Discipulis suis in Judæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat, non per se ipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus jam fuisse baptizatos, sine baptismate Joannis, sicut nonnulli arbitrantur, sine quod magis credibile est, baptismate Christi. Neque enim ministerium baptizandi resugeret; ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret; qui non desugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes.* &c.

Sed & hoc ipsum fecisse Christum Dominum suadet ratio. Apostolos enim novæ legis baptismate lotos atque mundatos, plus satis indicat Christus, Petrum alloquens Joannis 13. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*: nisi autem eos suis ipse manibus tinxit Christus, aut certe illorum aliquem, qui ceteros subinde lustraret, a quo quæso baptizari fingentur Apostoli? Quisve in eos facro illo ministerio defunctus est primus? Joannes enim non Christi baptismate Iudæos lustrabat, sed suo tantum. Ad Christum ergo deveniendum est, qui aut Apostolos omnes propriis manibus tinxerit; aut certe illorum aliquem, qui ceteros omnes sacra unda lustravit.

Nec est quod mihi reponat aliquis, potuisse Apostolorum aliquem, nondum licet Christi baptismate tinctum, alterum baptizare; atque ita facrum ministerium in se invicem obivisse Apostolos universos: cum nihil veteri non baptismum baptizandi officio defungi. Etsi enim nihil id veteri, ut baptismata sit validum, vetat tamen maxime, ut sit congruenter administratum. Perperam vero a Cardinali Toletio, annotatione 1. in Caput 4. Joannis, producit in oppositum Augustinus, quasi is Epist. 108. distinctis verbis affirmasset, *Apostolos a Christo ipso prius baptizatos, ad alios baptizandos esse missos*. Quamquam enim illos baptizatos affirmet sanctissimus Doctor, Baptismate Christi, hoc est, Baptismate a Christo Domino instituto, antequam ad ceteros baptizandos mitterentur; non tamen a Christo ipso baptizatos illos asserit, sed contra potius disertissime negat. En tibi Augustini verba disertissime: *Ursumque de Domino scriptum est: quia baptizabat plures quam Joannes; & quia ipse non baptizabat, sed discipuli ejus: Ut intelligeremus, & ipsum quidem baptizasse presentia maiestatis; non tamen ipsum baptizasse manibus suis. Ipse enim erat Baptismi Sacramentum; ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat. Tunc ergo quando dicit Joannes in Evangelio suo:*

Post hæc exiit Jesus, & Discipuli ejus in Judæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat: tunc paulo post de illo loquens ait: ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos faceret, & baptizaret, ret plures quam Joannes (quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli) reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam. Tunc ergo quando ab Hierosolymis exiit, cum discipulis suis in Judæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat, non per se ipsum, sed per Discipulos suos; quos intelligimus jam fuisse baptizatos; sine Baptismo Joannis, sicut nonnulli arbitrantur; sine quod magis credibile est, Baptismate Christi. Neque enim ministerium baptizandi desuit, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret.

Quid est ergo, inquit, quod hic obiter asserit Augustinus: *Christum ministerio baptizandi non desuisse*: nisi Christum hoc ipsum ministerium exercuisse?

cuisse? Imo, inquit ego, si hoc ille iis verbis significatum voluit; secum igitur ipse intra paucas lineas pugnat: qui paulo ante disertissime pronuntyavit, Christi quidem fuisse Baptismatis Sacramentum, ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinuisse. Id itaque sibi vult unum Sanctissimus Doctor: Non desuisse Christum baptizandi ministerio, quatenus aptos baptismatis ministros instituit: nempe servos jam baptizatos, per quos ceteros baptizaret: ut adjuncta verba declarant.

EXERCITATIO XLVI.

De Christi jejuniis, & tentatione in deserto.

I. Christi jejuniis, per dies quadraginta in deserto toleratum, triumphatamque demonis tentationem; geminum divina virtutis, & humanæ infirmitatis Mysterium, hodierna luce dum explico; non minus incurritum difficultatum gravitate moveor, quam obruor multitudinem. Vix enim in recitata, apud Matthæum præsertim & Lucam Mysterii hujus historia, verbum exit, cui fuis non hæreat nodus; eoque interdum intricatior, ac diffusior, quod secum invicem pugnant Scriptores Evangelicæ videantur. Quare ut nodos illos, quantum vires suppetunt, commodius expediám, præmissis Matthæi & Lucæ verbis, per singulas divina Historiæ partes ibo, & quidquid ubique difficultatis ac dubii fuerit, enodabo.

II. Sic igitur Christi jejunii, ac tentationis historiam orditur Matthæus, Cap. 4. *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo: & cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurivit.* Lucas vero paris numeri Capite: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane: & agebatur a Spiritu in desertum, diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo: & nihil manducavit in diebus illis: & consummatis illis, esurivit.*

Ipsò statim initio, dubitatum olim ab aliquibus monet Gregorius Magnus Homil. 16. in Evangelia, a quo Spiritu in desertum ductus sit Jesus, bono ne, an malo? Divino, an diabolico? Ac rem ipsam si per se se spectemus, nihil veteret, potuisse quoque Christum a maligno Spiritu in desertum duci: cum & ab illo subinde ductus fuerit in Jerusalem, Lucæ v. 9. *Duxit illum in Jerusalem, & statuit eum super pinnam Templi: & ab eodem assumptus sit in montem excelsum valde, Matthæi v. 8. qui enim potuit & in montem assumere, & in Jerusalem ducere; quid ni quoque in desertum locum ducere potuisset; volentem utique, seque illius insultibus permittentem? Si tamen Evangelicæ narrationis seriem spectemus, liquet plane, Christum Dominum, a Divino Spiritu in desertum fuisse ductum. Tum quod ab eo Spiritu ductus, & actus dicitur a Luca, quo plenus erat: Tum quod absoluta Spiritus appellatio, præmissis maxime articulo 22, divinum sacris in Litteris sonet, ac bonum, non malignum, ac reprobum: Tum demum quod minus apta minusque concinna, utriusque Scriptoris sacri propositio foret, si Christum a diabolo ductum significare voluissent. Sic enim dicendum illis fuisset: ductus est, seu agebatur in desertum a Spiritu, ut tentaretur ab eo: non, ut vere habent, *ut tentaretur a diabolo*. Quæ certe loquendi formula, alterum Christi ductorem Spiritum innuit, alterum tentatorem: ut est constantis Patrum sententia, Origenis Homil. 29. in Lucam, Ambrosii lib. 4. in eundem, Athanasii Epistola ad Serapionem, Hieronymi in Caput 4.*

Matthæi, Chrysostomi Homil. 13. in eundem, Gregorii Magni Homil. 16. in Evangelia, Chrysostomi Sermone 11. Auctoris Sermonis de tentatione & jejuniis apud Cyprianum, D. Thomæ 3. parte quæst. 41. art. 1. ad 2.

Quare quod ductus, actusque in desertum dicitur Christus; non per aera raptus, ut Abacuch, ut Daniel, ut Philippus, existimandus est: nec motu quodam externo, & quasi violento abreptus & tractus; sed interno instinctu, ac spirituali motione, eaque plane libera, in desertum progreffus dici debet: uti Cyrillus Alexandrinus eleganter exponit lib. 2. ad Reginas: *Virtute Spiritus in desertum agi dicitur: non quod ubi aliqua eo abreptus adductusque sit: sed quod vitam ad tempus ubi traduxerit, moratusque sit, Spiritus virtute armatus, supra humana nature conditionem.*

Quis ille, in quem ductus est, locus desertus fuerit, frustra quaeris, in præcis Ecclesiæ Patribus: nihil enim, ut id explicent, Patres habent. Si quid tamen conjecturis est dandum, desertus Judææ locus existimandus est, ubi Sanctissimus Præcurfor eremiticam vitam egerat, inter orientem & septentrionem situs, citra Jordanem. Tentationis enim locum, non longe ab Hierosolymis fuisse necesse est: cum inde in Sanctam Civitatem assumptus sit Christus, & super pinnaculum Templi a damone positus: quid ni ergo loca Judææ deserta fuerint?

III. Sed hæc levia, & ad promulsiendam. Illud præstat inquirere, qua demum virtute Servator noster, totos quadraginta dies noctesque, jejuniis tenuerit, nullo, ut ait Lucas, sumpto cibo? Numve, exacto duntaxat quadraginta dierum numero, cæperit esurire? Nonnullis significatum visum est, ex eminenti duntaxat quadraginta dierum contemplatione, cui Christus toto illo quadraginta dierum spatio vacavit, continuæque qua tunc raptus est extasi, factum esse, ut alia nulla supernaturali accedente virtute, sospes fanusque, nullo licet sumpto cibo, perennaret. Quia, inquit illi, cum una eademque in homine sit anima vegetans, & intelligens; unum idemque operationum vegetantium, & intelligentium principium: ubi semel anima virtus, circa superiores operationes absorpta est, inferiores expedite exercere non potest: atque ita impedita calor naturalis actione, qua concoquendus & digerendus est cibus; nulla premit fame, esurire nulla urget, quæ subsidiarium humanæ vitæ humorem absumat: nulloque idcirco sumpto cibo naturaliter conservatur. Sic Moyses & Elias, sine famis sensu, dies quadraginta sine cibo transgressi leguntur Exodi 34. v. 28. & lib. III. Regum Cap. 19. v. 8. quod in altissima rerum divinarum contemplatione defixi, ita intelligentis animæ vires absorptas habent, ut nullas vegetantis animæ vires reliquas facerent, quibus cibus coqueretur. Sic & Doctor Angelicus in extasi raptus, incisuras & caustica, absque doloris sensu pati solitus dicitur; quod sentientis animæ vires altior contemplatio cohiberet.

At ipso illi labuntur errore, nec satis ex Philosophiæ principiis agunt. Etsi enim vegetantis & sentientis animæ vires, intelligentis quoque animæ vires sint; (quod quidem una in homine anima, & sentit, & vegetat, & intelligit) numquam tamen facultatis intelligentis in contemplatione occupatio, defixio, atque uti loquuntur absorptio, sentientis ac vegetantis facultatis naturale exercitium ex integro cohibet; etsi forte retardet aliquantulum, & intercipiat: quia in actibus mere naturalibus exercendis, inferior animæ facultas, ab actuali superioris influxu, & operatione non pendet. Quin etiam, si forte daremus

mus quod ii tam infeliciter evincere admittuntur : occupatis scilicet, in eminenti facinororum contemplatione, intelligentis animæ viribus, pleneque defixis, ac velut absorptis, nullas ut cibis coquantur ac digeratur, vires reliquas esse, non idcirco fopes fanuque ad longum tempus perennaret homo : imo potius nutritu deficiente, periret ac plane consumeretur. Secuta nimirum partium inter se dissimilium alteratione, calore humidum depascente, solutoque ad vitam tuendam necessario temperamento.

Quare eo rejecto commento, divine virtuti, ingentique portento Patres adscribunt, quod totos illos quadragenos dies, sine cibo ac potu transegerit Christus : quod perinde de Moyse & Elia jejunio pronunciantur. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. ad Reginas, *divina virtute, absque cibo & potu, incorruptam carnem conservavit*. S. Petrus Chryfologus Sermone 11. *Divina virtus fuit, per dies quadraginta esuriam non habere*.

Ais tamen mihi : Si non nisi divina virtute factum est, ut quadraginta dies jejunus sine cibo transigeret; quid ergo Patres constanter affirmant, demonem, Christum Dominum ex tolerato jejunio, Dei filium non novisse : sed, an is esset, illata subinde tentatione explorasse, ac quævisse : *si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* ? Respondeo, Dei filium non novisse, quod divinam illam virtutem, qua dies quadraginta jejunus mansit, propriam illi inesse & congenitam ignoraret; facileque existimaret, externum Dei præsidium id in illo egisse, quod egerat in Moyse & Elia : atque ita Jesum excellentem virum aliquid, justum, ac Deo charum, ex tolerato divinitus jejunio noverat : Deum tamen ac Dei filium non retererat : adeoque tentando quærebatur, & explorabat.

IV. Jam vero num exacto duntaxat quadraginta dierum jejunio, cœperit Christus esurire; annon potius per singulos ferme dies esurierit, famemque pro humana natura conditione sit passus; (quæ altera quæstio pars est) longe certius, contra Cajetani dubitationem, ex Evangelio definitur. Dicente enim Matthæo, *Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurivit*. Luca vero discrete pronunciant, *consummatis diebus illis, esurivit* : quis non videat, eum ante id temporis non esurivisse? cum hæc nota temporis præfigatur, qua primum cœperit esurire. Accedente maxime, Patrum unanimi suffragatione, Evangelii verba in hunc sensum interpretantur : Origenis, Chryostomi, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, in adornatis ad Matthæum & Lucam Commentariis; Basilii magni Homilia 1. de Jejunio, Cyrilli Alexandrini lib. 2. ad Reginas, Gregorii Nysseni lib. de octo Beatitudinibus, Petri Chryfologi Sermone 11. Damasceni lib. 3. de fide Cap. 20. qui varias etiam rationes exequantur, cur consummato duntaxat dierum quadraginta jejunio, ac non ante id temporis, voluerit Dominus esurire. Notanda præ cæteris in hanc rem Chryfologi verba : *Postea esurivit. Hoc non est infirmitatis signum, sed infirmitatis virtutis. Quia cum dicit, postea esurivit, quadraginta diebus & quadraginta noctibus probat, in illo esuriri non fuisse. Esuriri sentire & vincere est laboris humani : Divina virtus est esuriam non habere*.

Neque movent Cajetani in oppositum obiectivæ. Nullis scilicet pro noxis hominum satisfactionis ac meriti fore, diuturnum illud Christi jejunium, si nullam toto illo dierum decursu esuriam passus esset : Novumque id miraculum fore, quod non ita de facili debet admitti. Quis enim certo statuerit, voluisse Christum totos il-

los quadraginta dies jejunum transigere, ut per carnis afflictionem pro nobis mereretur, & satisfaceret : ac non potius, ut altiora nobis morum documenta daret? E. G. Tentationes jejunio esse vincendas : Carnis delectationes, quæ cibo potuque capiuntur, propter spirituales delicias debere contemni : rerum divinarum contemplatione, rerum sensibilibus appetitum extinguere : atque id genus multa, quæ Patres elegantissime profequuntur. Quamquam si meritum in Christi jejunio quærit Cajetanus, non potuit ingentis non esse meriti, esuriam illam, quam ultimo tandem pati voluit : quæ talis forte tantaque fuit, quanta, si illum per dies quadraginta singulos afflixisset. Sed nec novum Christo Domino parandum miraculum fuit; ut qui sanus ac fopes, absque cibo & potu tandiu subsistit, nulla interim fame urgeretur, ac premeretur. Utrumque enim uno eodemque miraculo factum est : impedita scilicet atque suspensa actione caloris naturalis, aliorumque contrariorum agentium : Unde integrum stetit temperamentum, & cibi potuque appetitus extinctus est. Imo verius novo miraculo fuisset opus Christo Domino, ut continua, quam comminiscitur Cajetanus, per dies quadraginta fame pressus, consumptus tandem aliquando non esset.

V. Nunc videndum hoc alterum, meo quidem iudicio difficultius, quod Patres ipsos, & Scripturarum Interpretes dubios tenuisse videtur, & anxios : An tunc primum a demone tentari cœperit Christus, cum primum cepit esurire? An potius aliis durante jejunio subtilioribus tentationibus fuerit impetitus; antequam in apertum campum, cum demum esuriret, proficere?

Et certe si de summa facie, Matthæi & Lucæ Narrationes inspicimus, tribus tantum tentationibus impetitus videbitur Christus, quas illi distincte percensent; dum transacto quadraginta dierum jejunio, cœperit Dominus esurire : quocirca a Matthæo sit scriptum : *Cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurivit : & accedens tentator dixit ei &c.* Ac sic quidem communitur existimatur. Imo in eam sententiam venisse creduntur plerique Patres : demonem ab esurie duntaxat, quam tunc demum passus est Christus, tentandi occasione arripuisse; quod illum humana tunc patientem, purum esse hominem suspicaretur, aut crederet. Sic Hilarius Can. 3. in Matthæum : *Non eras a Deo diabolus, sed a carne vincendus : quam utique tentare ausus non fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem, que sunt hominis cognovisset : quam in eo sentiens, ita orsus est : Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. S. Basilii Homilia 1. de Jejunio : *Vide quam mirabiliter Christus tentatori per esuritionem præbuit ansam. Alioquin propter divine nature sublimitatem, non patebat ad illum aditus diabolo, nisi se per esuritionem, ad humanam imbecillitatem demississet*. Joannes Chryostomus Homilia 13. in Matthæum : *Considera quantum ad eum astutus, & malitia diabolus accedat; quodæ præcipue tempus observet. Non enim jejunantem adit, sed esurientem : ut scilicet discas, quam sit bonum grande jejunium : & quia hæc adversus diabolum arma sunt maxima*. Gregorius Nyssenus libro de octo Beatitudinibus : *Cum quadraginta dies jejunus permansisset, postea esurivit. Dedit enim quando volebat occasione nature, officio suo fungendi. Sed tentationum inventor cum intellexit affectum famis etiam illum invasisse, consuluit ut lapidibus extingueret appetitum*. Auctor libri de Operibus Cardinalium, apud Cypranium, Sermone de tentatione & jejunio : *forma jejuniorum proposita, fixoque exemplo, postquam dierum qua-*

quadraginta abstinentiam Dominus consummavit; Satan cum esurientem videret, accessit. Retroactum tempus obtinuerat quies; & secum silentii sera opus illud eximium Salvator exegerat : modo oblata famis occasione, tumultuato de latibris prodians egreditur; & subdola professione quasi conspiciens ei, subornare periclitanti nature boratur. Cui sententia videtur accedere Doctores Angelicus 3. par. quæst. 41. art. 7. Christi tentationem post jejunium factam docens, data opera, atque ex instituto.

VI. Ubi tamen Sacrorum Evangeliorum verba diligentius observo; aliorumque Patrum interpretationem mutuo confero; rem longe aliter accidisse deprehendo : Christum scilicet totos quadraginta dies, quibus jejunium tenuit, demonum tentationibus fuisse obnoxium; subtilioribus, ac per cuniculos illatis; antequam fame & esurie pressus, in apertum tentationum campum descenderet : quæ idcirco solæ, distincte atque expresse in Evangelio referuntur.

Ita quippe jejunii Christi, ac tentationis historiam orditur Lucas : *Agebatur a Spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo*. Marcus vero : *Erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur a Satana*. Seu ut Luca textus græcus habet : *Agebatur a Spiritu in deserto diebus quadraginta tentatus a diabolo*. Quæ verba, præterquam per se se spectata, illatas Christo Domino tentationes, ad diem totos quadraginta pertinere significant; ita etiam a Patribus sunt accepta, ut Christum tota illa dierum quadragenam tentatum, aperitissime notent. Maxime cum Christum ideo in deserto ductum a Spiritu, Mattheus dixerit, *ut tentaretur a diabolo*. Quæ loquendi formula, Christum quoto tempore in deserto fuit, diaboli tentationibus obnoxium non obscure significat : cum eo sine eoque consilio, ut iis se se committeret, in locum illum processisset.

Sic sane Origenes Homilia 29. in Lucam : *Quadraginta diebus tentatur Jesus : at quæ fuerint tentationes nescimus : quæ ideo forsitan prætermissa sunt, quia majora erant, quam ut literis crederentur. Et sic oportet dicere : sicut mundus capere non poterat omnes libros, si scripta fuissent quæ fecit, & docuit Jesus : Sic quadraginta dierum tentationes, quibus tentatus est Dominus a diabolo, mundus ferre non poterat, si Scriptura docuisset*.

Eusebius lib. 9. Demonstrationis Evangelicæ Capite 7. *Quoniam diebus quadraginta, noctibusque totidem tentatus est Christus : de iis quidem demonibus, qui noctu illum invadebant, dictum est ad ipsum, non timebis a timore nocturno : de iis vero, qui cum per diem oppugnabant, dictum est illud, a sagitta volante in die : Item de nocturnis illis, dictum est illud, a negotio perambulante in tenebris : de diurnis vero illud, ab incurse & demonio meridiano*.

D. Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelistarum Cap. 4. *Quia ergo numerus iste quadragenarius laboriosius hujus temporis sacramentum est, quo sub disciplina Regis Christi, adversus diabolum dimicamus; etiam illud declarat, quod quadraginta dierum jejunium, hoc est, humiliationem anime consecravit, & lex & Prophete per Moysen & Eliam, qui quadragenis diebus jejunarunt; & Evangelium per ipsius Domini jejunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur a diabolo : quid aliud quam per omne seculi tempus, tentationem nostram, in carne sua, quam de nostra mortalitate assumere dignatus est, præfigurans. En tibi Christum per dies quadraginta tentatum a diabolo : iudice Augustino*.

Euthymius in Caput 4. Matthæi & Marcus &

Lucas dixerunt, quia etiam quadraginta diebus Dominus tentabatur, ut manifestum sit, quod in illis quidem ipsum a longinqua tentabat, namque per famem, per tristitiam, per ignaviam, & similia. Postquam autem ipsum esurire cognovit, jam prope & manifeste apperuit; idque per vitium fami conveniens; puta per gulam.

Venerabilis Beda lib. 1. in Marcum : *Tentatur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; ut indicet, quod quoad hic viventes Domino servimus, adeo adversarius, qui iter nostrum tentando impedire non cessat*.

Doctores Angelicus 3. par. quæst. 41. art. 3. ad 2. Hac ipsa Venerabilis Bedæ sententia recitata, subiungit : *Secundum expositionem Bedæ, Dominus tentabatur, quadraginta diebus & quadraginta noctibus : sed hoc intelligendum est, non de illis tentationibus visibilibus, quas narrat Mattheus & Lucas, quæ manifeste factæ sunt post jejunium : sed de quibusdam aliis impugnationibus, quas forte illo jejunii tempore, Christus est a diabolo passus*.

Ex quo Doctores Angelici pronunciant, lata patet via, qua illum ipsum, caterisque pro adversa sententia laudatos Patres, Hilarium, Basilium, Chryostomum, Gregorium Nyssenum, Pseudo-Cyprianum, benignius exponamus, nostraque sententiæ conciliemus. Duplici nempe tentationum distinctione posita; aliarum quidem subtiliorum, quæis Christum a jejunio & oratione avertere, atque in peccatum inducere diabolus moliretur; quæ totos quadraginta jejunii dies ingruerunt; aliarum vero visibilibus atque patentibus; quæis, verus ne filius Dei esset, explorare malus genius nitetur : quæ ab esurie, quam demum passus est dominus, exordium habuerunt. Quam distinctionem, ante Doctorem Angelicum posuerat Euthymius. Id ni dicamus, pugnantem secum invicem Patres, pugnantem & Scriptores Evangelici : quod ablit a nobis opinari.

VII. De his nunc manifestis, ac visibilibus, quas demum Christus perulit, tentationibus videamus. Has inverso proptus ordine referunt Mattheus & Lucas : unde prima oboritur difficultas, quod demum ordinæ visibilibus ac manifeste tentatus sit Christus. Est enim in prima, quæ de gula vitio fuit, tentatione referenda, ambo consentiant : *Dic ut lapides isti panes fiant* : Altera tamen, quæ de superbia & vana gloria fuisse dicitur, ac super templi pinnaculum facta, secundo loco ponitur a Matthæo, a Luca tertio. Postrema quæ de inordinata divitiarum concupiscentia, ac de idololatria fuisse dicitur, & super montem excelsum peracta est, tertio quidem loco a Matthæo ponitur, a Luca secundo. Quæ res Divum Augustinum, ac Divum Thomam reliquit incertos, quis re ipsa tentationum ordo fuerit. Lib. 2. de Consensu Evangelistarum, & 3. parte quæst. 41. art. 4. ad 5. Verisimilium tamen arbitror, illum ipsum fuisse servatum Ordinem, qui a Matthæo, non qui a Luca scribendo servatus est. Lucas enim ternas tentationes Christo illatas simpliciter narrat, nulla interjecta vocula, quæ servatum, in illis inferendis, ordinem notet : atque ita de servato, in illis inferendis, ordine, non videtur fuisse sollicitus. Mattheus vero sic tentationes narrat illatas, ut quæ eique succederent, interjectis voculis notet. Priori quippe tentatione narrata, *Tunc*, inquit, *assumpsit eum diabolus*; narratque secundam : quæ vox consecutionem unius post alteram, aperte significat. Eaque subinde recitata, e vestigio subiungit, *Ierum assumpsit eum diabolus*; tertiamque recitat tentationem : quæ perinde vocula, istius post illam, ordinem indicat. Postremo recitata tertia illa tentatione, concludit, *tunc reliquit eum diabolus* : quæ utique loquendi forma-

mula, tertiam illam omnium ultimam fuisse significat. Quid, quod illum ipsum servari tentationum ordinem, materies postulat? Ut enim Angelice differit Doctor Angelicus 3. parte quaest. 41. art. 3. *Diabolus hominem spirituales non statim tentat de gravibus peccatis, sed paulatim a levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. . . . Et hunc etiam tentandi modum servavit in Christo. Nam primo tentavit ipsum de eo quod appetunt quantumcumque spirituales Viri, scilicet de sustentatione corporalis naturae, per cibum. Secundo processit ad id, in quo spirituales viri quandoque deficiunt; ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertio perduxit tentationem ad id quod iam non est spiritualium Virorum, sed carnalium: scilicet ut divitias & gloriam mundi concupiscant, usque ad contemptum Dei, per idololatram.*

VIII. Tres illas tentationes Christo illatas a demone ceterorum Principe, pro certo tenuit Augustinus lib. 9. de Civitate Dei Cap. 21. Nec immerito. Diaboli quippe nomen, a quo Christus tentatus in Evangelio dicitur, Luciferi demonum Principis proprium nomen est: Psal. 108. Ephes. 6. I. Petri 5. Apocal. 12. & 20. Christus quoque suum illum tentatorem, *Sathanam* subinde nuncupat, dum ab se repellit: *vade retro sathana; quo nomine demonum Princeps vocatur Lucæ 10. & Apocalypsis 12. Suffragatur & ratio. Nec enim congruebat, alium cum Christo Domino congruere, præter eum, de quo ipse Joannis 20. ait: venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam. Cumque Jesum demones promissum humani generis Redemptorem fin minus scirent, at saltem ex ingentibus illius virtutibus patratique paulo ante in Jordane prodigiis, suspicarentur: nil dubitandum, quin ad eum impetendum, oppugnandumque, machinatorem illum insidiarumque structorem delegerint, qui & arte, & astutia, & malitia plus posset.*

Externam hominis speciem induisse tentatorem, longe certius. Tum quod ad commiserationem pietatemque initio simulandam esset aptior, ferendaque cum Christo colloquia, in quibus divinarum Scripturarum studium affectaret. Tum quod, si insolitam bruti alicujus animantis imaginem, ad nefarium ministerium induisset; ut in tentandis, protoparentibus factum est; non id Evangeliorum Scriptores tacuissent, sed multo magis exaggerassent. Ridendi tamen pictores nonnulli, qui tentatorem cucullo indutum, qualem nunc eremi cultores de more gestant, penicillo adumbrant; quasi solitaria vita professorem se Christo finxisset, quo facilius illuderet. Nondum enim istud vitæ genus acceptum mortalibus fuerat; quod unus tunc Joannes præformaverat: ignotus & mundo cucullus, quo se insidiator abderet, falleretque.

Illud demum certissimum indubitatumque ex Patrum sententia, ac tum maxime Gregorii magistri, Homilia 16. in Evangelia, & Joannis Damasceni lib. 3. de fide Orthodoxa Cap. 20. Tentationes illas omnes, externas fuisse duntaxat: verba scilicet auribus stillata, objectaque sensibus ejus exhibita: non internas; immixtasque cogitationes malas, excitataque partis sentientis cupiditates: quæ locum in Christo nullum habuerunt, aut etiam habere potuerunt. Quia pars ejus sentiens ita erat rationi subdita, nullus ut in ea motus, invita ratione posset oriri. Tentari per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non memorandi: Inquit Gregorius loco laudato. Quo titulo Christi tentatio, Protoparentum tentationi simillima fuit, quando in illo felicissimo innocentia statu perennarunt; nostris toto caelo dissimilis. Quare quod Euthymius paulo ante lau-

datus affirmat, Christum quadraginta dierum spatium; per somnum, per tristitiam, per ignaviam fuisse tentatum; non aliter accipiendum venit, quam quod ignaviae fomicine dulcedinem, externorum obiectorum expositione suadere tentaverit malus genius; maroremque illi tristitiamque, expressa rerum ingratarum imagine, concitare: Irro tamen conatu, frustrataque industria.

IX. Quam sunt hæc indubitata, acceptaque Theologis universis, tam est illud incertum obscurumque, quomodo sit Christus assumptus a demone in Sanctam Civitatem, positusque super pinnaculum templi; iterumque assumptus in montem excelsum valde; unde illi omnia regna mundi ostenderentur. Mirum quam diversa diversi sentiant! Sunt qui Christum non corpore, sed animo tantum; non locali motu, sed imaginatione; & cogitatione assumptum illo positumque velint; in eum ferme modum, quo Ezechiel super fluvium Chobar in terra Chaldæorum consistens, raptus ductusque Jerusalem dicitur, ut Civitatis, ac Templi muros metiretur; spiritu certe animoque, non corpore. Quibus ea videtur ratio suffragari: quod Christo in montem illum excelsuram assumpto, omnia regna mundi ostensa dicantur a demone: non utique oculis ejus obiecta, sed menti. In his Princeps est laudatus non semel Auctor operis Cardinalitatis, apud D. Cyprianum, Sermone de *Jejunio & tentatione*. Minus tamen vere, nec satis ad Scripturæ phrasim accommodatæ. Historica enim narratio illa est, qua Christus assumptus dicitur in Templi pinnaculum, & in montem excelsum; non prophetica visio, qualis Ezechiel Jerusalem per visum adducto facta est, Cap. 40. libri ejus nomine inscripti. Daemon quoque, Christo super Templi pinnaculum assumpto inquisiens, *Mitte te deorsum*, illum in eminenti illo loco ita positum significat, ut inde se precipitem posset agere: Non ergo cogitatione duntaxat ac mente illo translatus erat, sed & corpore. Ad hæc: Si mente duntaxat & imaginatione, ad sublimia illa loca translatus est Christus, a quo quæso translatus est? Si a proprio Spiritu, uti laudatus Scriptor ostendit, repugnat id Evangelio; Christum illuc assumptum a diabolo, diversissime contestantur: Si a diabolo, Christi itaque phantasiam diabolus immutavit; ut eo se ferri extimaret, quo re ipsa minime ferebatur. Quod demonum vires excedere nemo nesit.

Nec quidquam huic sententiæ adducta ratio suffragatur. Quamquam enim omnia Regna mundi, oculis Christi, de proximo, atque distincte obiecta non fuerint a demone tentatore; non ideo tamen imaginaria cognitione a demone mota & excitata, sunt Domino apprehensa: Sed generali quadam indicatione, ac veluti descriptione sensibus ejus obiecta sunt, quo pacto Auctor operis imperfecti in Matthæum exposuit, Homilia 5. *Ostendit ita, non ut ipsa Regna, vel Civitates eorum, vel populos, vel argentum, vel aurum videret: sed partes terre, in quibus, unumquodque Regnum, vel unius cujusque Regni Civitas posita erat. Ut puta si ascendas super excelsum locum, digito tenso dicam tibi, ecce ibi est Roma, aut ibi est Alexandria; non sic ostendo tibi, ut ipsas videas Civitates, sed partes terre in quibus posite sunt. Si enim Nauta unam stellam aspiciens, non dicam ad unamquamque provinciam, vel insulam, sed ad unamquamque Civitatem, & ad singula loca que petunt, sine aliquo errore, aut evagatione dirigitur cursum: quanto magis diabolus, qui Princeps aeris constitutus, totam terram non solum sciebat, sed etiam videbat, poterat Christo singula loca certissime digito demonstrare, & uniuscujusque Regni honores, & statum verbis exprimere? Nam non solum ostensum dici-*

dicitur, quod ostenditur ad videndum, sed etiam quod exponitur, ad intelligendum: sicut scriptum est, ascendamus in montem Dei Jacob, & ostendet nobis viam suam; & ambulabimus in ea.

X. Quapropter ea Pseudo Cypriani sententia rejecta, Christum vere ac re ipsa in eminentia illa loca assumptum corpore, positumque contendunt alii, virtute tamen animæ suæ eo translatus: Suadente quidem demone ac præuente factum iter existimant, Christo tamen infrequentè & progredientem. In eum ferme modum, quo Christus ipse, Petrum, & Jacobum, & Joannem assumpsisse dicitur, illosque in montem excelsum duxisse, ut coram eis transfiguraretur, Matthæi 17. non illos utique succollando, humerisque gestando; sed in viando, præuendo, viamque monstrando. Ita laudatus Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Homilia 5. Origenes Homilia 31. in Lucam, Auctor Commentariorum in Matthæum, inter Opera S. Anselmi, ad Caput 4. Verum si sic gesta res est, humanoque gressu peracta est via, longo admodum tempore Christo Domino fuit opus; ut ab eremo Jerusalem, indeque in montem ascenderet: cum tamen brevi tempore trinam tentationem peractam fuisse, consentiant universi.

Ideoque consultus alii, Hieronymus & Euthymius in Caput 4. Matthæi, Gregorius magnus homil. 16. in Evangelia, venerabilis Beda in Cap. 4. Lucæ, D. Thomas 3. par. quaest. 41. art. 4. ad 7. Christum in aera sublimem elatum a demone, raptum, ac transportatum existimant; volentem utique, seque illi permittemem, & consentientem. Ad eum sane modum, quo Abacuch in Babilonem, & Philippus in Azoto translatus leguntur ab Angelo, Danielis 15. & Actorum 8. Id quippe verbis Evangelicis congruit magis: *Assumpsit eum diabolus in Sanctam Civitatem, & statuit super pinnaculum Templi*. Nec alias, ut Gregorius admonet, videtur incongruum: *Quid mirum, si se ab illo permittit in montem duci, & tentari, qui se per tulit a membris illius crucifigi? Nec si id permittebat Christo, diabolus fecit; prodidit se se, & quis re ipsa esset, ostendit; quod ille dum tentat præstare, non solet. Est enim id faciens, Angelum se esse ostendit, cujus sola virtute ea de portatio posset fieri: non ideo tamen se malum Angelum prodidit: cum id a bono perinde Angelum fieri posset. Sed neque periculum fuit ullum, ne Christus in aera sublimis, aut etiam super pinnaculum Templi positus, ab aliis observaretur; & in quamdam adhibitæ magicæ artis suspensionem veniret. Huic enim malo mederi, Christo facilitum fuit: Ut laudatus sæpe imperfecti Operis Auctor prudenter observat. Forsitan diabolus quantum ad se, sic eum assumebat, ut ab omnibus videretur: ipse autem nesciente diabolo, invisibiliter sic agebat, ut a nemine videretur. Sicut scriptum est de eo: ipse autem transit per medium eorum, & abiit sic. Si enim Abacuch homo constitutus, a nullo est visus, quando ab Angelo per comam capitis portabatur de Judea in Babiloniam: quanto magis est creditibilis de Christo, non fuisse visum, cum volens a diabolo assumeretur?*

XI. Quid ergo, inquires forte mihi, trina in deserto tentatione impetitur dicitur Christus; si re ipsa extra desertum, in Templi pinnaculum, & in montem excelsum, ut illic tentaretur assumptus est? Respondeo ita dictum, quia & in deserto tentatio prima facta est, de lapidibus in panes convertendis, ut famem depelleret; & a deserto reliquæ tentationes, de vana gloria, bonorumque temporalium cupiditate, exordium habuerunt; & in deserto, superatis omnibus tentationibus, reductus est triumphator. Quæ omnia paucis complexus est Marcus Cap. I. *Erat in deserto* Serry Tom. III.

quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur a Sathana, eratque cum bestis, & Angelis ministrabant illi. Quamquam non a demone in desertum, post superatam tentationem, reductus est Christus. Ex quo enim consummata tentatio est, diabolus recessit ab illo, Lucæ 4. Atque adeo non ultra Christus se illi permittit, ut in locum pristinum deferretur ab eo. Sed aut virtute divina delatus est Christus, aut Angelico ministerio, cui se a jejunio reficiendum præbuit in deserto: Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Matthæi 4.

EXERCITATIO XLVII.

De fama ingenium Christi virtutum, ac prodigiorum in Syriam propagata: deque mutis Abgaris Edesse Regis ad Christum Epistolæ, Christianique ad Abgarum datæ.

Quam late per Syriam Christi miraculorum fama prævagata esset: quam multi etiam inde, seu languoribus pressi, seu a Dæmonibus male habiti ad illum sanandi afferrentur in dies, Matthæus scribit Cap. 4. Evangelii v. 23. *Circuibat Jesus totam Galileam docens in Synagogis eorum, & predicans Evangelium, Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui demonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos. In hoc tanto Christi Domini opem implorantium languentium numero, fuisse quoque Abgarum Regem Edessæ, quæ pars est Syriæ superioris, (quamquam sicut Matthæus) narrat tamen Scriptor Ecclesiasticus bene multi. Nempe cum ipse per sese non posset accedere, opem per Epistolam rogasse ferunt: quam Christus, mittendo, postquam in Cælos assumptus esset, Discipulorum suorum aliquo, se certo laturum significavit. Quod subinde perfectum ajunt, dum anno quadagesimo tertio Thadeus Edessam Syriæ profectus, Abgarum Regem integræ sanitati restituit, eundemque una cum subditis vocavit ad fidem. Supplicem Abgarum ad Christum Epistolam ex Edessæ Civitate Tabulario erutam, atque e Syriaco exemplo Græce a se redditam exhibet Eusebius Cæsariensis lib. 1. Hist. Eccles. Cap. 13. quæ quidem Latine sic habet, ex Versione Christophoroni.*

Abgarus princeps Edessæ, Jesu Servatori propitio, qui in confinis Jerusalem in carne apparuit salutem.

Insignes illas virtutes, & curationes, quæ abs te sine medicamentis, & sine herbis factæ sunt, auditione accipi. Cecos enim, ut fama est, videre efficit, claudos ambulare: leprosos mundas: spiritus immundos, & Demones ejicis: eos etiam, qui diurnis morbis pressi sunt, sanas: mortuos denique ad vitam revocas. Quæ quidem, cum de te audivissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam: te, aut Deum esse, & e Cæli salsitio delapsum, aut Dei Filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te scripti magnopere precatus, ut laborem ad me accedendi suscipere, huncque, quo crucior, morbum curare non gravaris. Etenim audio, Judeos tibi obstruere malevole, & velle libenter te aliquo magno malo afficere. Est mihi Civitas perexigua quidem, sed ornata sane, & illustris, quæ utrique nostrum rerum necessarium suppediat satis.

Christi vero Rescriptum, ex eodem Tabulario erutum ab Eusebio, a Christophorono Latine sic redditur.

Agave beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidisti. De me enim scriptis proditum est, eos, qui me viderunt, in me non credere; ut hi, qui me non viderunt, credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle, ut ad te veniam: eas res, quarum gratia sum missus, debeo hic necessario obire; quas, cum plene perfecero, ad eum recipi, qui me misit. Quo simul ac assumptus fuero, aliquem ex Discipulis meis mittam ad te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi, tuisque imperiet.

II. Factum hoc, quantum quantum est, falsi arguunt avi hujusce nostri Historici bene multi; geminaeque Abgari Regis, & Christi Domini Epistolae spurias habent, & commentitias. Nos ex adverso, & factum omnino certum, & genuinas Epistolae dicimus, ob id maxime, quod universa probatae historiae, genuinaeque scriptiois indicia praesto sunt: consensio scilicet temporum, & locorum: Veterum fidem facientium disertissima testimonia: rerum denique gestarum, scripturarumque certa concinnitas. Quae tria probanda sumimus.

III. Consentit in primis ratio temporum, & locorum. Quo enim tempore facta Christo Domino per Epistolae Abgari supplicatio dicitur, ad salutem corporis obtinendam, Christi miraculorum fama ad Syriam usque pervenerat; indeque ad illum aegroti turmatim afferebantur, ut nutu ejus, atque imperio sanitatem reciperent, quod ex Matthaei Capite 4. jam vidimus. Quid itaque vetat, quominus Edeffam quoque, qua superioris Syria pars est non ignobilis, pervenerit idem rumor, ceterisque aegrotis immixtus Abgarius loci Regulus, opem per epistolae imploravit: quod abjecta forte dominationis cura, per sese non posset accedere? Namque alios ad Christum supplices accessisse Regulos, nemo nescit. Nihil igitur in ea facti parte reperire est, quod aut loco, aut temporis male congruat.

Congruit perinde facti pars altera: restituta scilicet, per Thadaem Abgari sanitas, juxta Christi promissum, fidelique Edeffensis nunciata, anno, ut notat Eusebius in vulgaribus Editionibus, quadragesimo tertio. Quae sane regnantis Abgari nota est, non nati Christi, ut Christophorono, & Baronio perperam visum est, ita Eusebii textum pro arbitratu reddentibus: *Ista quadragesimo tertio anno post Christum natum gesta sunt*: cum nulla Christi nati in Graeco Eusebii textu mentio fiat. Imo cum annum illum quadragesimum tertium in Edeffe Tabulario notatum referat Eusebius; quis non videat, regnantis Edeffe Principis annum illum esse, non Aere Christianae, cujus nullus tunc in consignandis instrumentis usus erat? Porro annus ille regnantis Abgari quadragesimus tertius, in id facile tempus incidit, quo Gentilibus praedicari ceptum est Evangelium. Nihilque idcirco repugnat, Thadaem ex septuaginta Discipulis unum, hoc ipso tempore Edeffam missum, sanitatem Regulo reddidisse; eundemque, totamque illius Civitatem Christiana fide imbuisse.

Si quis autem manuscriptis Eusebii codicibus a Valefio diligenter excussis stare mavult, in quibus, non annus quadragesimus tertius, sed trecentus quadragesimus adscriptus est: (quem ille non regnantis Abgari, sed Edeffe conditae annum exponit:) congruentem perinde temporis notam habebimus: non restituta quidem per Thadaem Abgari sanitas, sed datarum mutuo litterarum. Annus enim Edeffe conditae trecentus quadragesimus, in annum Tiberii Caesaris decimum sextum facile incidit; quo Christus, suscepto paulo ante Baptismate, publicum ministe-

rium auspiciatus, patris prodigiis, ac miraculis inclaruerat; Abgarumque, ut opem per Epistolae quaereret, provocaverat. Eusebii autem loquendi formula perinde ad datas Epistolae, aut ad restitutam per Thadaem Abgari sanitatem flecti potest: *Gesta sunt autem ista quadragesimo tertio anno*: aut, ut lubet Valefio, *trecentesimo quadragesimo*. Quare quancumque lectionem teneas, consentit plane in eo, quod expendimus, facta, ratio temporum, & locorum.

IV. Accedunt jam veterum Scriptorum integram rei fidem facientium disertissima testimonia, quibus in facto aliunde minime repugnanti enarrant credere nolle, illiberalis ingenii est. Horum chorum dicit Eusebius Caesariensis primus Historiae Ecclesiasticae parens, fabularum, si quis unquam, ofor acerrimus; cui profecto emunctiores nares erant, quam ut interpolatas merces a nebulonibus excipere, aut lacinosos menstruatae pannulos historiae suae fuere vellet. Totam ille rei gesta seriem, mutuaeque Abgari ad Christum, Christi ad Abgarum Epistolae ex Urbis Edeffense Tabulario erutas dedit primus; eademque ex Syriaco idiomate Graece redditas publici juris fecit lib. 1. Historiae Ecclesiasticae Cap. 13. ubi sic habet: *Abgarius Rex, (Abgarius commune Edeffensium Principum nomen erat, potentissimum sonans lingua Arabica.) Qui gentibus prope Euphratem incolentibus praestantissime, & magna cum laude praesuit; ubi esset gravi morbo, & insanabili illo quidem (quantum in hominum facultate, & curandi vi sum erat) praene corpore labefactatus: celeberrime nomen Jesu, & divinas ejus virtutes constanter ab omnibus testatas accepisset, Epistola ad eum per internuncium missa, suppliciter oravit, ut morbo, quo cruciabat, penitus liberaretur. Jesus vero, licet illi ipsius auxilium tunc imploranti minime obsequeretur; litteras tamen separatim ad eum scriptas dare gravatus non est: quibus se unum ex suis Discipulis, qui morbo mederetur, eo missurum, & salutem non ei solum, sed etiam suis omnibus praestitutum, benignus promisit. Neque certe longo temporis spatio interposita, ista promissa cumulate illi perfecta sunt. Nam ubi Servator excitatus a mortuis in Caelum ascenderat, Thomas unus ex duodecim Apostolis, Divino quodam impulsu commotus, Thadaem fratrem, qui erat in numerum septuaginta Discipulorum Christi adscriptus, praedicatorum, & Evangelicam doctrinam Christi ad Edeffam usque misit: ac per ipsum Servatoris nostri promissa exitum suum plane consecuta. Quarum rerum insigne, & locuplex testimonium ex Tabulario Edeffe Civitatis, id temporis a Rege, (alius ille Abgarius est) gubernatae de promptum habes. Nam in Tabulis publicis, quae nedom veteres, sed recentes etiam res nuper ab Agave gestas continebant, haec eadem ad hanc nostram aetatem reservata reperiuntur. Quare nihil commodius esse putavi, quam ipsas Epistolae a veteribus illis Annalibus petitas, atque adeo ad verbum ex lingua Syriaca in Graecam conversas hoc loco citare: quae ita se habent &c. Tum binas Christi, & Abgari Epistolae subjicit a nobis paulo ante recitatas, distinctamque depulsa per Thadaem aegritudinis narrationem adnectit, ex eodem Edeffe Tabulario descriptam.*

Futiles vero quorundam exceptio est: Eusebium Caesariensem in aliis Historiae suae capitibus cepitasse; atque ita in isto quoque, quod expendimus, potuisse decipi; nimiamque, quam par esset, Edeffense Civitatis Tabulario fidem adungere. Id enim si licet excipere, ad nullum unquam adstruendum Historiae Caput, Eusebii auctoritas produci poterit: unicuique enim repone promptum est, potuisse in singulis decipi, qui deceptus erit in aliquibus. Imo nullius unquam

quam Historici in quocumque probando Historiae capite testimonium ferri poterit; cum nemo omnium sit, qui non in aliquo cepitavit. Id ergo morosis Censoribus probandum incumbit, deceptum re ipsa fuisse Eusebium, in eo; de quo quaerimus modo, facto recensendo, imprudenterque Edeffense Tabulario fuisse delusum. Quod de viro aliunde accuratissimo, fabularumque ofore acerrimo nemo facile in animum inducet: eo vel maxime, quod omnes praesae memoriae Scriptores ea in parte suffragatores habuerit, reprehenses omnino nullos.

V. Succinit enimvero Eusebio Caesariensi Sanctus Ephraem, Syrus ipse, imo & Edeffense Ecclesiae Diaconus, cui & certa gentis suae traditio, & Civitatis, cujus Ecclesiae ministrabat, Tabularia perspecta erant. Is quippe eo in Opusculo, quod novissimum omnium scripsit, cujus & titulus est, *Testamentum Ephrem*, de memoratis Christi, & Abgari litteris, totoque facto loquitur in haec verba: *Quando Rex Abgarius, qui hanc Civitatem extruxit, rogabat, ut exciperet eum, qui peregrinus in terris apparuerat, Salvatorem, inquam, universorum, & Dominum omnium Christianum, dicebat: „Omnia audivi, quae a te facta sunt, & quaecumque a reprobis, & aspernantibus te Judaeis passus es: veni igitur huc, & nobiscum habita. Habeo enim mihi Civitatem hanc exiguum, quae tibi, & mihi sufficiat.“ Cujus etiam fidem admiratus Dominus, mittens eum per nuncios, perpetuo Civitati illi benedixit, firmans ipsius fundamenta. Benedixitque illa inhabitans in ea permanebit, donec Sanctus e Caelo apparebit Jesus Christus Filius Dei, & Deus ex eo. Haec ille, quibus Abgari ad Christum Epistolam magna ex parte transcripsit. Quod tamen de Rege Abgario, quod Edeffam Civitatem extruxerit, obiter inavit; de Urbis operibus, ac munitionibus accipiendum venit, non de ipsam Urbe, quam a Magno Seleuco Syriae Rege conditam liquet, annis ante Christum natum amplius trecentis. Ut etiam quod de concessa Urbi benedictione subjungit; de gratia fidei per ministros Evangelicos universis Edeffensis concessa intelligendum est, quam illi ad extremum usque judicium adfuturam bene precabatur Sanctissimus Pater; tamen non illi pro voto res cesseri.*

Eadem Abgari, & Christi Epistolae ab Antiquioribus absque ulla dubitatione receptas esse, testatur Darius Comes in Epistola ad Augustinum data, quae inter Augustinianas Lovaniensis Editionis ducentesima tertia numeratur, nunc vero ducentesima trigesima. In qua earumdem argumentum recenset; & ex illis etiam argumentum petit ad persuadendum Augustino, ut sua ad ipsum Scripta transmittat. *Fertur, inquit, Satrape, seu Regis potius cujusdam Epistola Deum Dominum Christum deprecantis, cum intra Judaeae regiones adhuc versaretur, & necdum in Caelum suum removerat; (quoniam is ad eum ire, ac pergere per agritudinem praepediretur, & sanari abierit si non posse crederet) ad se, si dignaretur, Mundi salus, ac medicina decurreret, & ne tanta Majestati, quam ignarus Rex provida, sed non perfecta mente conceperat, injuria fieri videretur; laudasse insuper dicitur suam Civitatem, ut pulchritudine Urbis, & Regis hospitio Deus illectus precis supplicis non dedignaretur. Adhuc Deus Regi, sanatus est, & amplificato petitionis munere, per Epistolam, non modo salutem sui supplicii, sed etiam securitatem ut Regi transmissit.*

Adsuppluntur Procopius lib. 2. de Bello Persico Capite 12. Evagrius lib. 4. Historiae Cap. 26. Nicephorus Callixtus lib. 2. Cap. 7. Theodorus Studita Epistola ad Paschalem Romanum Pontificem Tom. III.

ficem, Baronius in Annalibus ad annum 31. & 43. Quin etiam Cedrenus in suo Historiarum Compendio tradit, Epistolam Jesu ad Abgarum temporibus Michaelis Paphlagonis Imperatoris, anno scilicet millesimo trigesimo quinto, integram adhuc extitisse, & summo honore habitam. Quae cum ita sint, Epistolae illas non ita liberalliter a viris eruditissimis contemnendas; nec restituta per Thadaem Abgari sanitatis Historiam rejiciendam existimo, quibus praesae Ecclesiae Patres, & Historiae Ecclesiasticae Scriptores nobilissimi suffragantur.

VI. Sed & tota res gesta, ut est ab Eusebio Caesariensi, ceterisque memoriae prodita, dataeque mutuo Christi, & Abgari Regis litterae nihil praesae ferunt, quod non apprime congruat, quod repugnet, unde in falsi suspitionem venire possint. Quod nos tertio loco spondimus probaturus.

Quid enim est, quod in Abgari ad Christum Epistola repugnare ajunt Eruditi aliqui recentiores? An illud, quod recitatis Christi miraculis subdit: *Quae quidem, cum de te audivissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam: Te, aut Deum esse, & eum Caeli fastigio delapsum, aut Dei Filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula? Quasi haec ex viri gentilibus calamo, qualis erat Abgarius, fuere non poterint; qui nulla de Filio Dei notitia indita erat? Verum cum Syri Judaeis rerum usu, atque commercio jungentur; Messiam Dei Filium a Judaeis expectari tunc temporis inaudiverat Abgarius: quin etiam Jesum pro Filio Dei communiter habitum ex publica fama per Syriam, ut Matthaeus admonet, volitante nosse potuerat: quandoquidem & hoc ipsum vel inviti Demones praedicabant. Quamquam tamen nec Abgarius, nec Judaei ad fidem vocati, Christum Dei Filium communiter vocitantes, secundam Trinitatis personam eo nomine intelligerent, quibus expressa, distinctaque Trinitatis notitia necdum affluerat; sed excellentissimae virtutis, ac sanctitatis virum a Deo cum summa potestate ad homines missum.*

Quid in Christi Rescripto minus congruere dicunt: quod verba incredulo Discipulo post resurrectionem subinde dicta, Abgario Regulo praemiserit, inquit: *Beatus es, qui, cum non videris me, in me tamen credidisti? Quodque Abgarius non illico per sese a morbo liberavit, sed in aliud tempus id ei beneficii a suorum Discipulorum aliquo praestandum rejecerit? Nihil siquidem vetat, eandem sententiam bis a Christo fuisse prolatam: scripto quidem, dum Abgario salutem diceret; voce autem, dum incredulum Discipulum increparet. Nec minus beneficiorum suorum arbiter erat, ac Dominus, ut ea, dum vellet, hominibus largiretur. Ut sileam, Christum ad oves, quae perierant domus Israel a Deo specialiter missum, Judaeam deserere non debuisse, ut praesens Abgario in Syria mederetur: nec salutem Edeffensis adferendam fuisse, antequam reddito Caelis Christo, baptizatoque Cornelio, Evangelium gentilibus panderetur.*

Quid demum insulse, absurdeque locutum Abgarius voluit; dum Thadaem ad salutem impartiendam missum, deque ejus in Christum fide interroganti respondisse fertur: *Usque adeo credidi ei, ut & Judaeos, qui eum crucifixerunt, velim cruciari, si ulla mihi adesset tanta exercitus copia, & si non Romani Regni auctoritas impediret? Ea enim virum principem Divina consilia nescientem cogitatio facile subit, ut illatam beneficii suo injuriam ulciscatur. Quemadmodum & Petrus ad Christi tutelam gladium exemit, imprudenter quidem, exemit tamen. Jacobus quoque,*